

picis autem appello, quod excipitur, dum ea coquitur, lana superposita eius vaporibus; hoc etiam gravitatem odoris protinus tollit.

5 XLI. Item bene facit hoc medicamentum ad tumorem et ad exulcerationem aurium: aceti acris sextariis duobus incoquantur mala granata duo, quibus coriarii utuntur (quia semper acida sunt nec umquam ma-  
10 turescunt, rhoas oxias haec Graeci dicunt) donec madida fiant. tunc haec adiciuntur et admiscentur: aluminis fissi uncia, acaciae suci pondo quadrans. reponitur medicamentum ampulla vitrea. cum opus est, ad tumorem quidem calidum per strigilem infunditur, deinde foramen sum-  
10 mum lana sucida tegitur; ad ulcus autem frigidum per eiusdem generis lanam et auriscalpium inicitur.

XLII. Si caro excreverit in foramine auris, compescitur sine dolore aut ferro hoc pastillo: aluminis fissi pondo triens, aeruginis pondo triens, misyos usti pondo triens, rubricae Sinopidis pondo triens, commis pondo  
15 sextans. teruntur priora ex aceto acri, donec quasi cum collyrium componitur levia fiant; ultimum commi adicitur et fiunt pastilli, qui ad omnia ulcera faciunt aqua diluti, cum aut compescenda sunt aut si cicatricem debeant ducere; sed aquatioribus oportet uti, cum cicatrix ducenda est. bene faciunt et ad exulceratas nares qualibet ex causa et graviter olentes.

20 Ad parotidas

XLIII. Ad parotidas convenit noctuae cerebellum butyro mixtum: discutit enim fere eas sine dolore et molestia. oportet autem aqua marina ferventi novis spongiis demissis et per linteum intortum utrisque expres-  
25 sive vaporare parotidem atque ita oblinere hoc medicamento superque te- gere lana sulphurata totam maxillam.